



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Quotuplex sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPVT II.

Quæ culpa requiritur ad incurrendam suspensionem.

1. **V**T incurratur à persona particulari Suspendio integra afferens illos quos utroque effectus quos c. 1. n. 1. declarauimus, siue hæc, ut Censura, siue, ut pœna, siue à iure sit lata, siue ab homine, requiritur aliqua culpa. Ratio est, quia, si sit pura pœna, supponit culpam, quæ sit puniendâ, si sit censura, seu Medicina, requiritur item culpam, quæ sit sananda.

2. Aliquam, dixi: nam ex probabili, Henric. cap. 27. n. 159. & Avil. 3. p. d. 3. dub. 3. sententia satis est venialis, sed est æquè probabile necessario requiri mortalem, ut sustinet Valsq. p. 2. d. 153. c. 5. Suar. d. 4. de cens. sect. 4. Coninch. d. 13. d. 3. G. Hurt. de susp. diff. n. 9. alique de qua re nos docimus l. 3. de Sac. Missæ. l. 1. §. 8. & docet G. bal. cum aliis de cens. disquis. 3. d. 2. n. 5.

3. Dixi (à persona particulari.) Nam ut incurratur Suspendio ab Vniuersitate, erit distinguendum. Si enim Suspendio feratur distributivè contra singulos de Vniuersitate, de Capitulo, de Collegio, &c. requiritur culpa in singulis, quia tunc est Suspendio fulminata contra personas particulares, licet multas. Si vero feratur collatiuè contra omnes, ut sunt partes, seu membra ejusdem communitatis, non requiritur culpa in singulis, tunc enim Suspendio sic lata afficiet omnes de communitate, ut sunt ejus partes; cum ergo omnes sint partes, omnes afficiet Suspendio, quia quando major pars communitatis delinquit, iudicatur delinquere tota communitas, quare tota erit Suspenda, etiam minor pars licet ea non deliquerit. Nec est inconueniens; quod hi pauciores amittant jus acquisitum præstandi actiones solitas exerceri à communitate, quia non amittunt per se, sed per accidens, siquidem communitas quando est Suspenda ab aliquibus actionibus, prout est, ac si nulla communitas esset in ordine ad actiones illas. Communitate ergo, quasi deficiente, quid mirum, si ejus partes, siue culpantes, siue non culpantes, etiam ipsæ deficient? Vt ejus partes, inquam, nam, ut sunt persone private, nihil tunc amittunt.

4. Inquires. Si quæ communitas peccaverit quidem, faciendo contra præceptum prohibens aliquid sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, sed nesciuerit illi peccato esse annexam suspensionem, illamne incurret?

5. Respondeo. Incurrere, probabiliter putat Lez. l. 1. q. 1. Reg. c. 14. n. 4. quia Pontifex non utitur, inquit, in his similibus prohibitionibus sub pœna suspensionis verbo (presumere) quare tunc illa Suspendio incurri debet, ramet si non adsit dolus, & præsumptio, satis enim erit, si adsit peccatum.

6. Verum probabile etiam est, teste Pasq. cent. 4. q. 358. non incurrere, quia est probabile ad illam incurrendam requiri scientiam talis pœnæ, seu censuræ; nam si est pura pœna, l. 1. in Dec. c. 2. §. 10. & n. 9. dictum à nobis est, requiri ejus cognitionem, ut incurratur, si vero est censura erit medicina, quæ etiam teste Sanc. lib. 9. matr. disp. 2. n. 21. Suar. de cens. d. 4. sect. 9. n. 19. & 20. cognosci debet, quia, nisi Medicinam cognoscam, medicinam mihi applicare non possum.

7. Inquires iterum. Qui metu gravis mali cadentis in vitum constantem eas actiones faciat, quibus annexus est incursus in suspensionem, illamne incurret?

Respondeo, illam non incurrere, ut ex supradictis c. 2. de excomm. patet, qui locus est à te recolendus propter hoc, alique multa ibidem latius pertractata.

TRACTATUS III.
SELECTA
DE
INTERDICTO.

CAPUT PRIMUM.

Quid seruandum est hodie in interdicto huius Generali?

§. I. Præmittitur breuiter, quid sit interdictum.

INTERDICTUM, Ecclesiasticum dicitur, & sine limitatione latum est regulariter censura, qua Fidelibus vetatur, Primo, Obsequia Divina celebrare;

Secundo, aliqua Sacramenta ministrare, vel suscipere, puta Eucharistiam (nisi in mortis articulo) Extremam Vnctionem (nisi forte in eodem articulo, quando quæ non potuit de proximo suscipere Sacramentum Penitentia) & Ordinem, Nam Baptismus, Confirmatio, Penitentia, & satis probabiliter Matrimonium innovantur, ut distinctius videre omnino debes apud Dodacæ passim.

Tertio vetatur, Ecclesiasticam sepulcrum Defuncti exhibere.

Hoc vocatur, & est interdictum integrum; nam totum ipsum potest ab imponente limitatione remoueri. Nam Avilam, aliosque cum Leander de Interd. 4. quæ aliquos effectus tantum, quia hi tres effectus interdicti non sunt ita in iure connexi, sicuti sunt effectus excommunicationis, quos dividere non potest quilibet Pontifex, sed Pontifex Summus dumtaxat.

2. Dictum autem est primum, (est Censura) in eo convenit cum excommunicatione, & suspensione. Censura autem est pœna medicinalis, quæ solum infligitur, ut quis à contumacia recedat.

3. Dictum tamen est secundo (regulariter) Nam, & c. uti Suspendio potest ferri, & ut censura, & ut mæra pœna, in vindictam peccati commissi, & interdictum, Vt tunc, quia valde raro, ne dicam nunquam, ut vultus in exposte. Bull. Cruc. p. 2. tr. 6. c. 7. sect. 2. n. 17. Interdictum imponi solet, ut mæra pœna, ideo addidimus illud, regulariter est Censura.

4. Regula autem dignoscendi utrum censura sit, utrum mæra pœna, eadem priorius est, quæ in suspensione ne quæque diximus in tract. preced. cap. 1.

§. II. Præmittitur breuiter, quæplex sit interdictum.

1. **T**RIPLEX profecto est, Personale, Locale, Mixtum. Personale est illud, quo ipsa Persona prædictis prohibitionibus afficitur. Is ergo, qui sic personalem est interdictus, feret secum impositas prohibitiones, & quemcumque locum pervenerit, quamvis nullo interdicto subiectum.

2. Locale est illud, quo locus aliquis prædictis prohibitionibus astrigitur: hoc est, quo in quocumque loco verentur Fideles illas actiones prohibitas exhibere. hoc ergo interdicto, Personæ Fidelium non immutatur ratione sui, sed mediâ, puta ratione loci, ab illis actionibus arcebuntur. Nam propterea, si Personæ regressantur ab illo loco, poterunt libere se gerere, &c.

3. Mixtum est, quo tum personæ (ut locus prohibetur) tum locus (ut personæ) interdicti sunt. 4. Porro subdividuntur deinde eadem interdicta in aliud sit Personale generale, aliud Personale speciale, ut

particulare. Et rursus, Aliud sit locale generale, Aliud locale particulare.

5. Personale generale est, quando interdicitur Populus (qui in hac materia comprehendit etiam habitantes in Suburbis) Universitas, Capitulum, Collegium, nempe communitas quælibet, faciens unum corpus morale, seu politicum.

6. Personale speciale est, quando interdicitur hic, vel illi, etiam si sint plures, sic ille, & ille, &c. vel sic, *Interdicitur omnes, qui tale sacrilegium commiserunt.* quo pacto non interdicitur, ut partes Communis, sed singuli, ut personæ particulares.

7. Locale generale est illud, quo interdicitur locus, qui à communitate incolitur, v. g. Provincia, Civitas, Villa, &c. Unde tunc interdicitur omnia, & singula loca, ut partes sunt communis. Comprehenduntur etiam Suburbia, *C. Si Civis. de excomm. in 6.* Civitate interdicitur, etiam alterius domini, etiam Ecclesie Regularium exemptorum, quia secus suo rigore frustraretur interdictionem. Vide *Trid. sess. 25. c. 12. de Reform.*

8. Locale particulare est illud, quo interdicitur locus particularis, vel loca particularia, hæc, illa, & illa &c. quæ sunt in aliqua Provincia, Civitate, Villa, &c. non quidem, ut partes Communis, in qua sunt, sed, ut particulares Ecclesie.

His in memoriam reductis, ut respondeam questioni in titulo hujus capitis propositæ, sequentem §. instituo.

§. III. Quidam mitigaverit Bonifacius VIII. in Interdicto locali generali.

1. Jure antiquo, *C. Permittimus de sent. excommunic. C. Quod in te de Penitent. & remiss.* Concedebatur. Primo, Parochis, & Rectoribus Ecclesiarum, tempore Interdicti, semel in hebdomada Missam celebrare pro conficienda Eucharistia, quæ asservari pro infirmis confuevit.

2. Secundo, Clericis concedebatur, posse legere Horas Canonicas sine cantu, idque non à pluribus, quam tribus simul.

3. Tertiò, concedebatur solum Pœnitentia, & Viaticum morituris.

4. Quarto, concedebatur, ut Clerici qui non essent specialiter interdicti, & interdictum generale servarent, possent in cæmeterio sepeliri.

Concessio prima celebrandi privatim officia.

5. At jure novo Bonifacius VIII. *Cap. Alma mater de sent. excomm. in 6.* ampliavit prædicta, concedit Primo, ut tempore generalis interdicti localis, ut vult Lezana, *V. Interdict. num. 16. junct. num. 22.* (quare, non in locali speciali, nec in ullo personali, ut constat ex contextu dicti *Cap. Alma Mater*, & ex intentione Pontificis, atque ex ipsa praxi) concedit, inquam, ut Ministri Ecclesie (atque adeo Religiosi non interdicti personaliter teste G. Hurt. de *Interd. diff. 7. n. 19.* licite valeant, quotidie Missas, & alia Divina Officia celebrare (non autem in Oratoriis privatis, quamvis alias approbatis ad sacrificium) ac si nullum adesset interdictum, cum sequentibus tamen conditionibus. Prima, ut id fiat januis clausis. Secunda ut Submissa voce, quo scilicet audiri moraliter nequeant. Tertia, ut non pullentur Campanæ, intellige, ad convocandum populum: nam cæteram poterunt ea pullari ad convocandum ad Concionem, ad Salutationem Anglicanæ recitandam, ad dici horas designandam. Ad elevationem autem Sacræ Eucharistie in Missa, aliqui ut Lezana *V. Interdict. num. 26.* negant, concedunt aliqui ut G. Hurt. de *Interd. diff. 7. n. 20.* quod posterius probabilius est, quia tunc non pullatur Campanula, ad convocandum populum, sed ad eos monendos, qui sunt in Ecclesia, de reverentia exhibenda. Quarta, ut excludantur excommunicati, & interdicti personaliter.

Hæc concessio facta solum à Bonifacio est prædictis

Pars III.

Ecclesie Ministris, nam ceteri omnes, non solum, qui dederunt causam interdicto (hic enim semper in jure *C. ult. de verb. signif. in 6.* habentur, ut interdicti personaliter, ac specialiter) verum etiam illi, teste G. Hurt. *l. c. n. 21.* qui habitant in illa Civitate, seu loco interdicto: quia, secus nullum fore esset interdictum ejusmodi, si prædicti omnes possent admitti ad officia, quamvis privatim celebranda.

6. Ex eo, quod Bonifacius concedit clericis, atque adeo Religiosis modo dicto Divina Officia celebrare, colligit Hurtadus, de *interd. diff. 9. n. 29.* Bonac. de *interd. dubit. 5. part. 5. n. 13.* concedi, posse eos tempore interdicti localis generalis cum illdem conditionibus sepeliri in Ecclesia, quod est plus quam sepeliri in cæmeterio, quod poterant jure antiquo, ut diximus *n. 4.*

Concessio secunda celebrandi publice in quibusdam Festis.

7. Concedit Secundo, in dicto interdicto generali locali Bonifacius, ut in diebus festis Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes (& quidem ex probabilissima sententia, tum in primo, tum in sequentibus duobus, atque in Natali Domini in tribus sequentibus, quia ii certè pertinent ad eandem solemnitatem) & in Festis Assumptionis Sanctissimæ Virginis, Festoque corporis Christi cum tota octava, (hoc ultimum concessit Martinus V. & Eugenius IV.) concedit inquam, ut divina Officia etiam publice celebrentur, ac si interdictum nullum locale adesset, exclusis tamen excommunicatis, sed ipsis interdictis admittis, sub ea lege, ut qui causam interdicti dederunt non appropinquent ad altare.

8. Nota autem hæc Primo, Festivitates ejusmodi incipere à primis vespertis ac finire completorio inclusivè, ad Festum enim, etiam pertinet completorium.

9. Nota Secundo, iis, qui causam interdicti dederunt, quia censentur interdicti personaliter, non concedi in prædictis solemnitatibus communionem, sed posse solum Missas, ac Divinis Officiis interesse, hi enim remonentur ab Altari.

10. Nota Tertiò, discrepare Doctores, an illis, qui interdicto locali causam non dederunt, concedatur in diebus prædictis communicatio, aliis negantibus, ut G. Hurt. *l. c. diff. 7. cum Avil. & Sylv. concedentibus aliis, ut Suar. d. 33. de Confess. l. n. 36.* Coninch. ap. clt. Hurt. Mihi videtur utrumque esse probabile, quia illa verba Bonifacii *interdicti, qui non dederunt causam admittantur in his Festis ad participationem Divinorum*, significare possunt, iis concedi communionem, id enim videtur sonare illud *Participatio Divinorum*, sed, quia sonare etiam possunt Divinorum Officiorum consortium, dumtaxat externum, idèd quam mavis sententiâ libere amplecti, integrum erit tibi.

11. Non solum in his Festis, verum etiam aliis quibuscunque diebus, consueto comitatu, tempore interdicti, deferendam esse communionem ad infirmos, dixi in *Opusc. de comm. c. 6. §. 7.*

12. Nota Quarto, dubitari à Doctoribus, an tempore prædictarum Festivitatum concedatur interdictis sepeliri cum omnibus solemnitatibus in loco sacro, perinde, ac si interdum non adesset, Conceditur per aliquos, ut Sylv. Sayr. Nav. Sotum, Henriq. ap. Bonac. de *interd. d. 5. p. 5. n. 7.* quia si Bonifacius concedit principale, id est Divina Officia celebrare, concedit, & accessorium, nimirum Sepulturam Ecclesiasticam, quæ accessoria est ad Officium Defunctorum, Confirmant, quia ex Sacro Textu *Cap. Sanè dist. 24. q. 4. Quibus communicamus vivos, possimus communicare & mortuis*, at illis diebus communicamus vivos, ergo & mortuis, eos sepeliendo. Negant per aliquos, Suar. Avil. Coninch. Filliuc. Ugol. ap. Bonac. *l. c.* quia nolunt sepulturam connumerare inter Divina Officia, quæ solum tunc conceduntur. Utrumque probabile.

Concessio Tertiâ tradendi omnibus Sacramentum Pœnitentie.

14. Concedit Tertiò Bonifacius, ut in memorato interdicto locali generali possit omnibus sive sanè, sive malè